



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

§. 2. De Zelo pro Virginum augmento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)

tot annis tuam ingratitude[m] negligentiamque sustinuit: & si tempus præteritum adhuc futurum esset, quomodo illud transfigeres, subsequens conversatio prodat: à cœlesti Agricola implora cultum divinæ gratiæ, qui eam dat incipientibus non subtrahet proficere volentibus: postulent cum Augustino *Medit. c.*

„suspiria tua; libera quæso me à peccatis, vitiis, cul-^{13.}

„pis & negligentis meis: reple me tuis sanctis virtutibus, & fac me bonis pollere moribus: fac me in

„sanctis operibus tuis propter nomen sanctum

„tuum perseverare usque in finem secundum voluntatem tuam.

§. II.

De Zelo pro Virginum augmento.

Quod è duobus prioribus superioris §. dogmatibus consecrarium hîc lubet pertractare & commendare Virgini, scil. si sibi gratuletur, ob suam ad Virginalem statum electionem sibi in eo complaceat, ut ad eundem allicere & inducere Virgines alias allaboret: ea namque natura Boni quod sit diffusivum & communicativum sui., Agite itaque cursum vestrum, (instat Hipponensis Antistes,) *L. de Bon-*

„& perseveranter currite ut comprehendatis: & ex-*Viduit.*

„emplo vitæ exhortationisque sermone rapite in eum-^{c. 23.}

„dem cursum vestrum quascunque potueritis. Et aliorum omnes, quæ formari poterant, oppositiones *ibid.*

„dissipans mox subjungit: „Non vos ab hoc studio, quo multas ad imitandum vos excitatis, frangat querela vanorum, quid dicunt: quomodo subsistet

sistet genus humanum, si omnes fuerit Continentes? quasi propter aliud retardetur hoc seculum, nisi ut impleatur prædestinatus numerus ille Sanctorum, quo citius impleto profectò nec terminus seculi differetur. Nec illud vos retardet ab studio persuadendi aliis bonum vestrum, si dicatur vobis, cum & nuptiæ bonæ sint, quomodo erunt omnia Bona in Christi corpore & majora scilicet & minorâ, si omnes continentia laudem atque amorem imitentur? Primò, quia conando ut omnes sint continentes, tunc erunt vel paucæ, neque enim omnes capiunt verbum hoc: sed quoniam scriptum est: qui potest capere capiat tunc capiunt qui potest sunt, si nec illis, quæ non capiunt, taceatur. Deinde nec timere debemus, ne fortè omnes capiant aliquid de minoribus bonis, id est, conjugalis vite Christi desit in corpore: si enim omnes audierint & omnes ceperint, intelligere debemus hoc ipsum fuisse prædestinatum ut conjugalia bona in illorum numero membrorum etiam sufficiant, quæ tantum multa ex hac vita transierunt: habebunt ergo illi omnia ista Bona suum locum etiam si deinceps nulla velit nubere, vel nemo ducere uxorem. *Secundò itaque instate quibus potestis, ut fiant quod vos estis.* Nonne is zelus D. Pauli Apostoli, quem beatus *Christi Pronubum* inscripsit S. Chrysostromus? *omnes vos esse sicut me ipsum, is inquit, dico autem nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant sicut & ego.* Conciliare connubia seque gamicis lenocinationibus immiscere, aut proxenetem interprocantes alicubi agere strictissimè Virgini inhibendum, at hîc ejus industriam ac studium laudat & urget

*De Virginitate. c. 1.
1 Cor. 7:7.
& 8.*

Christi Pronubum inscripsit S. Chrysostromus? *omnes vos esse sicut me ipsum, is inquit, dico autem nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant sicut & ego.* Conciliare connubia seque gamicis lenocinationibus immiscere, aut proxenetem interprocantes alicubi agere strictissimè Virgini inhibendum, at hîc ejus industriam ac studium laudat & urget

urget D. Basilius : „ enimverò illud longè ab-
 „ surdus est & his quæ dicta sunt meritò cen-
 „ setur indignius atque à virginali Instituto pror-
 „ sus alienum , Virginem non solum hirundi-
 „ nis in morem volitare per domos , sed nu-
 „ ptiarum ministram ac pronubam fieri : hono-
 „ rabiles quidem nuptiæ in omnibus , verùm aliis
 „ ea cura non Virgini competit : neque enim illi ex-
 „ pedit propositi sui relictâ semitâ in triviis seculi
 „ vulgaribus turbis passim misceri , alia est enim via
 „ nubentium , alia semita Virginitatem profiten-
 „ tium , & divisa est Virgo & Nupta , recedat igitur
 „ Virgo à nuptialibus curis imò ne causa quidem sit
 „ aliis nubendi , sed aliis quibus institutum est car-
 „ nales ambire sponso ejusmodi studia relinquat.
 „ Illæ ad ea concilianda connubia , si ita videbitur :
 „ sancta Virgo , quæ cœlestem Sponsum flagrante
 „ charitate suspirat , si pronubendi amore detinetur ,
 „ cœlesti potius Sponso immaculatas atque integras
 „ Virgines jungere studeat. Laborent illæ circa mor-
 „ tales thalamos , ista cum Prudentibus accensâ lam-
 „ pade circa immortalem sponsum festina tripudiet
 „ illum sequens jugiter atque ad Virginitatis glo-
 „ riam ei & Sponsas alias copulans. Est enim revera
 „ inverecundum plenumque dedecoris , cùm so-
 „ leant , quæ , antequam vitæ conjugalis molestias
 „ planè perspicere per ætatem possent , præventæ
 „ sunt connubiis innuptas , ut hujusmodi curarum
 „ experimenta fugere nitantur , summa cum bene-
 „ volentia hortari proponentes immortalis sponsi
 „ gloriam , quantaque sit illarum dignitas , quanta
 „ & in præsentis & in futuro seculo felicitas , quæ il-

li desponsari meruerunt, admomentes atque ad Virginitatem omni studio tuendam eas provocantes: Virginem è contra carnalis conjugii promissam fieri atque hujusmodi negotiis addici. Contra sanè quàm illæ (ut mihi quidem videtur) sentire se per ea quæ gerit insinuat: namque Virginitatis professione præventa pudoris causâ se ad eam componit vel invita, affectu tamen suscipiens nuptias ac pœnitens eâ se voluptate privatam: ex iis, quæ agitur quanto earum in intimis flagret amore, non meritiocriter indicat, quasi nubentibus apertissimè ostendere intendens congratulari se iis quòd hujusmodi voluptate fruituræ sint. Hactenus S. Capadox, quæ ideo fusiùs retuli non ut reas, quas ego non spero, arguerem, sed ut Virgini, quam instruat, si ad hæc officia sollicitatur quid agendum suggererem: urgeant ergo illæ & promoveant nuptias ac procos, sperent industriæ suæ præmia, quæ ignorant nuptias & delicias spirituales; tu autem sponsum celestem prædica & in ejus castissimos amplexus Virgines tecum rape, etiam propriis tuis impensis: *vide* dime Virgines (instat epistola 10. Hier.) quas in cubiculû Regis inducas: suscipe Viduas quas inter Virgines num Lilia & Martyrum Rosas quasi quasdam Violas misceas: pro Corona spinea, in qua Christus mundi delicta portavit, talia ferta compone: perplacet ei hæc illecebra, virginali continentia is vel maxime delectatur, ideò namque summo olim Pontifici ejus typum gerenti præscriptum: *Virginem duc uxorem*: & dum Madianitæ, omnesque sine delectationis aut sexus in Jabes Galaad interfici jubentur, omnes & solæ Virgines excidio subtractæ salvæ man-

Levit. 21:

13.

Num. 31:

18.

Judic.

21: 11.

mandantur. Afficiebatur Eustochium ad statum
 Virginalem & Amita ejus prætextata ex imperio con-
 jugis sui eam ad seculum & nuptias avocare niteba-
 tur, at cum quanta Dei offensâ suoque dispendio!
 „Prætextata nobilissima quondam scœmina (inquit
 „D. Hieronymus) jubente Viro Hymettio, qui Pa-
 „truus Eustochii Virginis fuit, habitum ejus cul-
 „tumque mutavit, & neglectum crinem mundano
 „more texuit sibi, vincere cupiens & Virginis pro-
 „positum & matris desiderium: & ecce tibi eadem
 „nocte cernis in somnis venisse ad se Angelum terri-
 „bili voce minitantem pœnas & hæc verba frangen-
 „tem: tune ausa es viri imperium præferre Chri-
 „sto? tu caput Virginis Dei tuis sacrilegis attrecta-
 „re manibus? quæ jam nunc arescent, ut sentias
 „excruciata quid feceris, & finito mense quinto ad
 „inferna duceris. Sin autem perseveraveris in sce-
 „lere, & marito simul orbaberis & filiis. Omnia per
 „ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœniten-
 „tiam velox signavit interitus. Sic ulciscitur Chri-
 „stus violatores Templi sui, sic gemmas & pretio-
 „sissima ornamenta defendit.

*Epist. 7.
ad La-
tam.*

Summo tamen hîc opus selectu, neque enim quæ-
 vis promiscuè alliciendæ: negligantur quæ capitis
 sunt heteroclitî, **Abelupnen of Malloten** eas vo-
 camus, Deo enim & ejus ministris tales sunt oneri:
 ad nuptias, ad cunas (quô phantasias distrahant) ab-
 legentur & occupentur. Sunt ex Viris suis Xantip-
 pæ? certè præstat illis sint, quam Dei Sacerdotibus.
 Neque alliciantur semihomines (**Muskens of Suf-
 hens**) rarus enim aut nullus in eis profectus, ideoque
 relinquuntur mundo & matrimonio, Respuuntur

utpote inhabiles? eadem etiam de causa à statu Virginali repellantur, in quem nolumus intrudi quicquid quilibet & rejectaneam seculi fecem.

Verum cum ex sensu *Abelis* optima quæque debeantur Deo, ex invitandæ, in quibus *divitiæ salutaris sapientia & scientia*. De quibus spes probabilis, quod numerum non fatuarum sed sapientum sint augmentaturæ, quodque caput omnium, quas ipse Virginum sponsus ambit, quarum corda sollicitat & rapit in Virginitatis affectum: laboret industria tua pro Virginum augmento, sed tales sint, quibus hanc gloriam Protovirgo decernit, quod per internas illecebras & inspirationum blanditias significat. Verbo tales sint, qualis *Demetrias* hoc elogio celebris apud D. Hieronymum, *quod inde ceperit, non aliis desuisse perfectæ consummatæque virtutis est*. Quælis D. Agnes, &c. In fide stabiles & charitate ferventes. Ad quarum denique consecrationem ingemiscat mundus, &, ut eos vocat D. Hieronymus, *non plenæ fidei Christiani parentesque miseri, eas tantum quibus dignos generos non inveniunt soliti Virginitati tradere*. Retineat Mundus quas abjicit, obtineat Christus quas Mundus allicit, summo Bono optima quæque cedant, bonus non est quisquis hæc inviderit.

Nolo tamen ut is te error teneat, qui sequiorem conditionem censet vitæ melioris impedimentum, cum personarum acceptio non sit apud Deum, quidcirco dicitur Psalti *suscitans à terra inopem & de stercore erigens pauperem. Facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem*. „ Quippe & sponsus (inquit Magnus Basilius) amoris erga se illi præmia re-

ferens,

Ps. 112:7

Eccl. 11:

23.

L. de ve-
a Virgin.

„ferens, five illa ancilla fit, five ignobilis, five pau-
 „percula & obscura, atque in seculo penitus abjecta
 „confortio eam suo & communione nobilitans cœ-
 „lorum Reginam facit. Nec solo hanc munere im-
 „mortalitatis honorat, sed exteriori etiam amictu
 „tanquam sponsam suam accuratissimè ornato com-
 „ponit & vario: cujus admirans gloriam hymno-
 „rum cœlestium Cantor ad Sponsam ait: *Astitit*
 „*Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata*
 „*varietate*: ut, quæ nunc pannosa servilique habi-
 „tu vilis habita est, in cœlestibus regnis Regina &
 „nobilis & honesta ornatu vario Regi adfistere in-
 „veniatur. Neque enim alia apud Patres nobilitas
 „in pretio quàm animorum: „probatu viri genus vir-
 „tutis profapia est (censet D. Ambrosius) quia si-
 „cut hominum genus homines, ita animarum genus ^{L. de Noè}
 „virtutes sunt: etenim Familiæ hominum splendo- ^{& Arca}
 „re generis nobilitantur, animarum autem clarifi-
 „catur gratia splendore virtutis. Ex quo capite apud
 „D. Augustinum monetur Demetrias Virgo nobi- ^{Epist. 142}
 „lissima: „Nobilitatis ad hoc tantum memineris,
 „ut cum claritate generis morum sanctitate conten-
 „das, & cum nobilitate corporis animi virtute no-
 „bilitate proficias, magisque illâ nobilitate glorieris,
 „quæ filios Dei & cohæredes Christi facit om-
 „nis ista præclari generis dignitas & illustris aviti
 „sanguinis decus ad animam transferantur. Ille cla-
 „rus, ille sublimis, ille fit nobilis, ille tunc integram
 „nobilitatem servare se putet, si dedignetur servire
 „vitiis ab eisque superari non est quod sibi ali-
 „quis de nobilitate generis blandiatur, si ex meliore
 „parte sit famulus; multò est indignius mente ser-
 „vire quàm corpore.

Tu itaque Virgo sponfalibus te non immisceas: eis hanc curam relinquant quæ aut ignorant aut non æstimant Virginitatis prærogativam: ad morsum amarum Adamum Eva invitet: at æmula Dei spirituales nuptias promove ac procura non tamen sine delectu, Davidi & Assuero speciosissimæ Virgines seliguntur. Et dum hæc *Virginitatis professionem* (quæ est phrasia ambrosiana) *vestis quoque mutatione signant*, eis tua votas preces associa (id namque semper solemne Virginitibus) ut Virginali Familiæ jam insertæ stabiles in ea permaneant, de virtute eant in virtutem, atque ad illam cœlestem gloriam pudicitia & integritatis coronam divinus eas favor perducatur.

L. 3. de
Virgin.

Supra.

De Virg.
c. 34.

Gen. 24:
60.
in Psa. 75

Quas autem Pronubas habuerunt Neosponsæ, eas ut benefactrices imò ut Matres venerentur & ament: „ ut appeteres Virginitatem (lubet hîc uti verbis S. Hieron.) ut Christi præcepta cognosceres, ut scires quid tibi expedire quid eligere deberes, illarum te exempla docuerunt, sancta domi instruxit conversatio. Non igitur solum putes tuum esse quod tuum est, sed earum, quæ suam in te expressere pudicitiam. *Moribus perversis à suo nomine* ex S. Augustino nunquam *dissonent*, ne provocasse illas aut suis suffragiis earum Consecrationem promovisse eas aliquando pœniteat. Neque sint irrita Corivalium vota: *Soror nostra es, crescas in mille millia.* „ Virgo aut Castimonialis jam dicata Deo (ait D. Augustinus) habeat & cætera, quæ verè ornant ipsam Virginitatem, & sine quibus illa Virginitas *turpis* est. Quid si enim sit corpore integra & mente corrupta? quid est quod dixi? quid si nullus tetigerit corp⁹, sed, si fortè ebriosa sit, superba sit, litigiosa sit, linguosa sit?

„fit? hæc omnia damnat Deus. Si, antequam vo-
 „viffet, nupiffet, non damnaretur: elegit aliquid
 „melius, superavit quod ei licebat, superbit & illi-
 „cita tanta committit. Hoc dico, nubere licet an-
 „tequam voveat, superbire nonquam licet. O tu
 „Virgo Dei nubere noluit quod licet, extollis te
 „quod non licet: melior Virgo humilis quàm ma-
 „ritata humilis, fed melior maritata humilis quàm
 „Virgo superba. Quæ autem respexit ad nuptias,
 „non quia voluit nubere damnatur, fed quia jam
 „ante recesserat, & fit uxor Lot respiciendo retror-
 „fum.

§. III.

De Adolescentulis.

HÆresis fuit Hieracitarum licitas quidem imò
 & proprias fuisse Nuptias Testamento Veteri,
 at à Christi adventu illicitas ac prohibitas cœloque
 exclusas, ideoque, ut eæ in Lege Antiquâ mandatæ
 cùm ex femine Abrahæ semen illud exspectaretur in
 quo benedicendæ forent omnes tribus terræ, sic è
 contrario in Lege Nova imperatam omnibus & sin-
 „gulis continentiam: „Quid enim novi ut faceret,
 „venit Verbum? (apud S. Epiphanium argumenta-
 „batur Hierax eorum Patriarcha.) Aut quid novi,
 „ut prædicaret, venit Unigenitus & ut perpetra-
 „ret? si enim de Timore Dei, hoc habebat Lex. Si
 „verò de Nuptiis, prædicaverunt has Scripturæ. Si
 „autem de Invidia & Avaritia ac Injustitia, hæc o-
 „mnia continet Vetus Testamentum. At, ut unum
 hoc

Tom. 2.
 L. 2. Hæ-
 res. 67.